AD CLERUM

ET

POPULUM

ARCHIDIOECESIS CAPUANAE

LITTERAE PASTORALES.



NEAPOLI
EX TYPIS ANGELI TRANI.
MDCCCXXVI.

FRANCISCUS SERRA EX DUCIBUS CASSANI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ELECTUS

ARCHIEPISCOPUS CAPUANUS

SSMI. DNI. NRI. LEONIS DIV. PROV. PAPAE XII.

PRAELATUS DOMESTICUS, PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

APUD SERENISSIMUM BAVARIAE REGEM

NUNTIUS APOSTOLICUS ORDINARIUS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS

CAPITULO, CLERO, OPTIMATIBUS,

CUNCTOQUE POPULO SUO SALUTEM IN DOMINO,

PACEMQUE IN COGNITIONE DEI, ET J. C. D. N.

Florentissimi Bavariae Regni ecclesiastica per Nos, adjuvante DEO, dum componebantur negotia, et jam ad secundum hujus Apostolicae Nuntiaturae lustrum haud lento pede appropinquabamus, ac tenuem operam nostram Sanctae Sedi, et Beatissimo Patri LEONI Divina Providentia PAPAE XII. alibi praebendam adhuc esse putabamus; IS, qui gentes

in terra dirigit, et omnia quae sub coelo sunt respicere gloriatur, ad alia munera, aliasque sollicitudines nos, licet indignos, dignatus est advocare, et quemadmodum DEI voluntati non est, qui resistat, pro viribus nostris, ac DEO iterum adjuvante, novam hanc vocationem per bona opera certam facere confidimus.

Periculosa, adversaque valetudine corripitur Archiepiscopus Vester, et mox ei auxilium adjungere cogitatur. Clementissima Summi Regis Nostri FRANCISCI I. Gratia ad hoc pastorale munus subeundum, infirmumque septuagenarium Reverendissimum D. Balthaxarem Mormile adjuvandum, licet absentes e Patria Nostra nec merito, nec opinato nos nominavit, et Sanctissimus Dnus. LEO XII. hanc nominationem die 3 Julii currentis Anni canonica confirmatione sancivit: Quae utriusque Reipublicae veneranda CAPITA, ut DEUS diutissime salva conservet, ad aram, Dilectissimi Fratres, Filiique in Domino charissimi, quotidianis, enixisque precibus exposcemus. Vix autem Coadjutores eramus nos constituti cum futura successione, Coadjutum DEUS, in Cujus manu sunt animae justorum, in hae-

reditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in coelis, meritis et virtutibus cumulatum revocavit.

Qualis, ac quanta animi nostri tristitia fuerit, cum ad nos hujusmodi eximii Pastoris Vestri obitus nuncium pervenerit, non possumus nec corde explicare, neque calamo ostendere satis. Ecclesiae Capuanae jacturam statim consideravimus; et dum in hoc summo moerore varsabamur, mentem nostram longius intendebamus, et praestantissimorum Capuanae Ecclesiae Praedecessorum Antistitum sollicitudines pastorales, studia, virtutes, ac merita omnia diligenter intuebamur. Viri praesertim illius, qui vestram tam prudenter, ac laudabiliter gubernavit Ecclesiam, Cardinalis Roberti Bellarmini virtutes, et merita animo complectebamur, et dum doctrinam, Zelum, et sanctitatem Ipsius attente cogitabamus, gravi metu sollicitabatur cor nostrum, et propter imbécillitatem nostram susceptum onus gravissimum utique, ac difficillimum nobis omnino videbatur.

Sed ut caeteros Istius inclytae Metropolitanae Ecclesiae Pastores, qui prudentia, do-

ctrina, atque pietate excelluerunt, silentio praetereamus, quali sollicitudine angi non debebamus in illam conspicuam Sedem ascendere, ubi antea Clericorum Regularium Theatinorum lumen sedit et decus, praeclarissimus ac doctissimus vir Balthaxar Mormile, cujus nomen atque memoria ad cujuscumque generis praeconium sibi tribuendum sufficiunt, et quem pro egregiis spectatae virtutis, eximiae integritatis, atque demum probitatis ornamentis laudare nemo satis potest?

Ubi his meditationibus, et anxietatibus vehementer commovebamur, ad DEUM, qui convertit luctum in gaudium, et Protector est omnium sperantium in se, oculos nostros direximus, et in gemitu cordis nostri has ad Ipsum voces effudimus: „ Quis sum ego, DOMINE, et cur suscitasti egenum de pulvere, ut pasceret populum tuum? En vox illa tanquam vox tonitrui auribus meis insonans, Vae Pastori insipienti! Exurge, DOMINE, in auxilium meum, et da pauperi tuo Sedium Tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret „: Alteri Samueli in DEI Ministerium Heli substituto clementer adesto, et

redde mihi, DOMINE, gratiam, quam Samueli dedisti, ut possim in conspectu Tuo humiliter incensum offerre, et simul officio functus Sacerdotis et Judicis, vocem Populi Tui audiam, et concordiam, pacemque per JESUM CHRISTUM, qui est omnium DOMINUS, ipsi annuntiem, et evangelizem.

Confidentes igitur in DEO, Cui nihil est occultum, quique de indignis dignos facit, ac Potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, speramus EJUS virtute fore, ut non vituperetur Ministerium nostrum. Gravati supra virtutem, supra debilitatem gravati, absit ut simus vel minimum fidentes in nobis, et non magis in EO, qui disponit omnia suaviter, eritque in latere nostro, et pedem nostrum custodiet, ne capiamur.

Hac spe recreati, et erecti vos pascendos, et regendos suscipimus, nihilque omittemus, ut salutem vestram in DOMINO promoveamus, parati etiam, si res id postulet, animam nostram pro ovibus dare, et anathema pro illis esse. Semper ante oculos habebimus Isidori Hispalensis verba, atque monita: oportere nempe „ Episcopum cum sollicita di-

spensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas, et pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiam habere in distributione discreta „. Accedant igitur ad Nos plena fiducia omnes quicumque laborant, et onerati sunt: eos consolari, eos reficere, quantum in DOMINO possumus, conabimur. Non nostra, sed vos, sed ea, quae JESU CHRISTI sunt, quaeremus, ne audire in die irae, in die illa cogamur: *Vae pastoribus Israel, ... gregem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis, et quod perierat, non quaesistis* (1). Interim dum vos adire poterimus, et os ad os loqui, quod brevi futurum esse speramus, absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu per epistolam alloquimur.

Ad Vos primum, VENERABILES FRATRES, DIGNITATES, ET CANONICI METROPOLITANAE EC-

(1) Ezech. 34 4.

clesiae Nostrae, qui nobis praecipue a consilio, auxilioque adesse debetis, vocem nostram convertimus. Vos caeteris honore, et dignitate praelati, Vos virtutibus, probitate, et doctrina caeteros praestare debetis. Non sub modio positi, sed quasi lucernae ardentes super candelabrum evecti fuistis, ut reliquo dilectissimo Clero lumen sitis et exemplum. Corda Vestra uti faces charitate inflammentur, et alter mutua benevolentia alterum prosequatur, ut videns populus opera vestra bona, hujusmodi mirificae charitatis effectus videat, et eo quidem incendatur ipse, ut, sicut DOMINUS dilexit nos, invicem diligatur. Non esset ne injucundum pro animo nostro, si quaedam ejusdem Corporis Membra, Nos verbis Corinthiorum alloquerentur: *Ego quidem Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi sum? Divisus est Christus?* (2) Nunquid perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia esse, nunquid uno ore CHRISTUM colere, Eique servire non debemus? Alter igitur alterius onera portate, ut adimpleatis legem

(2) I. Cor. 1. 12.

CHRISTI: decorem Domus DOMINI diligite: divinum cultum promovete, et dum divinas laudes decantatis, sic stetis ad psallendum, ut mens voci concordet, et quae ore cantatis, corde meditemini.

Ad Vos, Ecclesiarum Collegiatarum CANONICI, dirigimus, quae ad Metropolitanae Ecclesiae Dignitates et Canonicos superius verba dereximus. In vobis ac in Illis easdem virtutes, eademque ornamenta requiri, vos ipsos haud unquam praeterivit; et dum, nominis vestri memores, CANONES prae caeteris observandos cognoscitis, ad illorum normam vitam vestram instituturos semper vos esse non dubitamus.

Vobis etiam, quibus fuit animarum cura concredita, quique oves nostras, DEIque pascitis Gregem, PAROCHI omnes in DOMINO dilectissimi, brevem sermonem faciamus oportet. Vos, qui prae omnibus pondus diei et aestus toleratis, vocationem vestram ne exigua quidem oblivione deleatis e cordibus vestris, et quo laborioso ac difficili munere onerati sitis, semel atque iterum recordamini. Si Angelus Testamenti Episcopus reputatur, eo quia

exemplo bonorum operum debet inter gregem coruscare; Vos, inferioris ordinis Angelos, Episcopus sibi adjungit, atque operam vestram adhibet et sudores, ut sua pastoralis sollicitudo, regimenque spirituale ultro citroque dividatur; nam Episcopus ubique nequit adesse, nec solus id valet praestare, quod ad sui Gregis emolumentum est necessarium. Quemadmodum vero admirabili Providentia DEUS suam Ecclesiam regit, gubernatque, ideo aeternae Mentis numine atque consilio pariter voluit, ut Episcopi, quos posuit Spiritus Sanctus, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo, evigilare faciant ubique per Parochos, et rectores, ne dispergantur oves vel dimittantur, et lupum venientem ad ovile appropinquare permittant.

Quod si vero inferiores Angeli isti, habeant oculos, et non videant, si eorum lux coram hominibus non luceat, quid mirum, si totum corpus et ovile eorum curae, fideique demandatum, tenebrosum fuerit et dispersum? Aut si curis prorsus soluti infirmo admodum brachio munere suo fungantur; quid mirum si grex contra leges Ecclesiae vivat,

quibus Civitas DEI regitur, et fulcitur? Vigilate igitur, dilectissimi Fratres, Commilitones in vinea DOMINI studiosissimi, et continuo vigilate. Ne sitis tanquam Canes muti non valentes latrare; neque inani timore perterriti, vel acceptione personarum abducti Fidelium abberrationes silentio dissimuletis; sed praedicate verbum, instate opportune, importune; prudenter, ac humaniter arguite, si debetis unius vel paucorum noxias corrigere, et si publice scelera patrantur, praedicate etiam super tecta; peccantesque coram omnibus obsecrate, et increpate, in omni vero patientia et doctrina, ut hi resipiscant, et caeteri timorem habeant. Qualem ac quantam in Gregis corda vim habeant verba boni Pastoris, Vobis Magistris in Israel, jam satis exploratum et compertum est.

Et Vos insuper utcumque ad Venerabilem Clerum Nostrum pertineatis sive REGULARES sitis, sive SAECULARES, sive animarum curam habeatis, sive non, et utut auxilium Pastori vestro praestetis, paucis alloquimur. Mementote Vos esse gentem electam, Regale Sacerdotium, haereditatem DOMINI, et fugite in primis

desidiosissimum vitae genus, fugite otium, et sacris Vos continuo devovete studiis. Proximum aedificate in victu: *Sobrii estote* (3). Gestu: *Qui fertis vasa DOMINI, mundamini diligenter* (4). Verbo: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore ejus* (5). Exemplo: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum* (6). Sic duplici honore, de quo ajebat Apostolus, digni habebimini, et a DEO, pro officio Sacerdotali, Vobis legitima sempiterna tradetur.

Ne gravemini praeterea faciles Nobis aures praebere, Juvenes Levitae, et Adolescentes, qui in Seminario Nostro actu informamini. Vos Ecclesiae nostrae futura spes, veluti novae arbores plantatae in Domo DOMINI debetis in posterum exemplo, et doctrina florere. Eo itaque conducite animum vestrum, et aemulationem, ut nullus in novissimis temporibus a fide discedat, attendens Spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum in hypocrisi loquentium mendacium; sed ineptas, et

(3) I. Petri 5.
(4) Is. 52. 11.
(5) Malach. 2. 7.
(6) ad Tit. 2. 7.

aniles fabulas devitantes, vos ipsos ad pietatem exercentes, per Verbum DEI, et orationem sanctificemini. Alter sit exemplum alterius in Verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (7), ut ad optatum tandem finem cunctos feliciter pervenire conspiciamus. Intenti ad Superioribus parendum sitis oportet, eorumdem monita sequi, mandata non recusare, et ut voluntati eorum, qui vos Altaris Ministros, verbo, et exemplo, dignos efficere concupiscunt, morem gerere satagatis. Quam acceptum nobis, et quam jucundum animo nostro foret de Praeceptorum, atque Rectorum vestrorum curis et nos participes fieri; assistere tentaminibus scholasticis; mirari talenta; aedificari indefessa industria; intueri sinceram morum probitatem, et qua verbo, qua exemplo vos ipsos exhortari, ut pietatem cum scientia jungatis! Verum enim vero, carissimi et dilectissimi in CHRISTO JESU, Filii nostri, hic unicus finis studiorum vestrorum sit, JUNGERE CUM SCIENTIA PIETATEM.

Audite nos quoque Virgines DEO devotae, Sponsae JESU CHRISTI. Adhortamur

(7) Ad Tim. I. 4.

enim vos affectione potius, quam potestate admonemus. Vos, quae flores estis ecelesiastici germinis, suavissimum virtutum, et castitatis odorem semper spargere debetis; Vos, gratiae spiritalis decus atque ornamentum, illustrior portio Gregis CHRISTI, quae Regnum mundi, et omnem ornatum saeculi contempsistis propter amorem J. C., et annulum Fidelitatis, et margaritarum coronam praetiosissimam, et vestem aeternae jucunditatis solemniter induistis, ut in charitate ferveatis, et cum Dilecto omnibus Fidelitatis, et amoris vinculis conjunctae, perfectae continentiae palmam consequi valeatis. Hunc Dilectum, qui stat post parietem per cancellos prospiciens, et quem diu in Eucharistiae Sacramento Fidei lumine veneramini, jam videtis, et in Ipsum credendo, diligitis; debetis igitur pro amore Ipsius modestia prudenter caeteris eminere, benignitate sapienter praestare, lenitate graviter antecellere, et casta demum nunquam abuti libertate. In Puellarum Sapientum numero constanter estote, et coelestem Sponsum, lampadibus virtutum accensis, cum oleo praeparationis expectate vigilantes, ne turbatae impro-

viso REGIS adventu, sine lumine EI obviam eatis, sed ut praecedentium Virginum choro conjunctae fidenter, et alacriter occurratis. Dum vigilatis vero, orationes a vobis ad DEUM sine intermissione fiant: et quemadmodum fide docemur, DEUM illorum preces praesertim exaudire, eisque dare, et aperire, qui quaerere, petere, et pulsare non desistunt; ideo Vos prae caeteris enixe precamur, ut pro conservatione SANCTAE RELIGIONIS, pro incolumitate et salute Nostrorum feliciter Regnantium Augustissimorum et Ecclesiae Universalis SUMMI ANTISTITIS et PASTORIS, et felicissimi Regni Nostri REGIS et PATRIS, nec non pro piissima REGINA Nostra, singulisque REGIAE FAMILIAE MEMBRIS, et pro concordia et pace Principum Christianorum deprecemini. Memores etiam estote in orationibus vestris ovium perditarum, impiorum, et infidelium, ut DEUS illas misericorditer revocare, hosque convertere, et de tenebris ad lucem veritatis reducere, et ab omnibus flagella iracundiae Suae clementer avertere dignetur. Ne obliviscamini praeterea Ecclesiam Nostram Capuanam, et Nos speciatim

ne obliviscamini, ut DEUS ad bene pascendas oves curae nostrae concreditas gratiam concedat et vires, ne, dum aliis praedicamus, ipsi reprobi efficiamur.

Ad vos denique, Optimates, Proceresque Civitatis, et Dioeceseos, ultimo verba nostra dirigimus. *Unusquisque vestrum*, ajebat Apostolus ad Romanos, *proximo suo placeat in bonum et aedificationem*; quia Populus, ut ipsi scitis, bonas aut malas actiones, ut plurimum imitatur, et servi praesertim Dominorum consuetudines, et exempla in medium afferre gloriantur ad excusationem. Pietatis igitur, et Religionis, aequitatis et honestatis his exempla praebete, et nolite opus DEI propter escam destruere, sed quod superest pauperibus largimini; et consilia, atque adjumenta super egenum, et pauperem afferre, utriusque tenuitatem levamine sustentare, in dubiis, et in angustiis certa humanitatis, et beneficientiae argumenta edere nunquam gravamini; sic et in die mala vos DOMINUS liberabit, nam si uni ex istis minimis fecistis, velut IPSI factum fuisse putabit, et vos mercedem vestram accipietis. Huic autem Populo, qui et cordi

nostro pariter carissimus est, scribere multa haberemus, sed nolumus per calamum et atramentum ei scribere; hunc enim alloqui viva voce, et frangere ipsi intendimus summo gaudio panem Verbi DEI. Interim fidelitatem, obedientiam, humilitatem, pacem, et honestatem omnibus, quam possumus, studiosissime commendamus. De caetero, Fratres, et Filii nostri in DOMINO dilectissimi, quaecumque vera, pudica, justa, amabilia, bonae famae sunt, si quá virtus, si qua disciplinae laus, haec cogitate.

Superest modo, ut ad difficilem, et gravem sarcinam nostris infirmis humeris impositam prudenter, ac sancte gerendam, Ornamentum de Corpore B. PETRI sumptum, et plenitudinem conferens officii Pontificalis, PALLIUM obtineamus, quod a SSmo. Dno. Nro. LEONE PP. XII. in proximo forsitan Concistorio Nobis tradendum esse speramus, et quo debilitati nostrae eo vires addentur, ut validiores in Ministerio nostro reddi possimus. Quare, CLEMENTISSIME DEUS, Tuum imploro auxilium, Tuam exoro misericordiam! SERVA GREGEM, SERVA PASTOREM! .... SERVA GREGEM, et

memento Congregationis Tuae, quam possedisti ab initio, et redemisti pretioso SANGUINE TUO. SERVA PASTOREM, et auxiliare infirmo, qui totam spem suam in TE Solo reposuit, aut si indignum me repereris, ecce in manibus Tuis sum; suscita juxta Cor Tuum digniorem, qui pascat populum Tuum in veritate, et aequitate. En paratum cor meum, SPERARE IN TE, DOMINE!

Ad Te etiam, Coelitum Regina, Mundi Domina, generis humani Decus, atque Praesidium, hujus denique Ecclesiae Capuanae prae caeteris ELECTA PATRONA, preces meas enixe converto, ut incautum Gubernatorem clavim ad puppim naviculae suae tenentem, quasi stella perlucida, diu noctuque modereris.

Vos, ANGELI, qui Danieli prandium, et Eliae aquam, et panem apportavistis, sustinete infirmitatem meam, et eo mihi adjumento sitis, ut pane esurientem, potuque sitientem reficiam, ac Verbum DOMINI in gaudium et laetitiam cordis mei, et Populi aedificationem annuntiem.

Vos demum, Sancti ejusdem Ecclesiae meae Patroni, STEPHANE, SEBASTIANE, AN-

DREA AVELLINE, ELIA, et MARIA MAGDALENA DE PAZZIS humiliter invoco, ut Vinitorem deficientem confortetis; et si aper de silva ad Vineam DOMINI depascendam, aut convellendam ingrederetur, hanc custodite, illum dejicite, ut uberrimos fructus Intercessione Vestra, meoque labore colligere, et a Divino animarum PASTORE boni, sedulique Operarii mercedem obtinere valeam.

Venerabiles Fratres, et in CHRISTO Filii dilectissimi, abundantius vos alloqui poteramus, non autem candidius. Si verbum modo Nobis in ore deficit, vos habebimus semper in corde; et ex corde DEUM ad aram diu deprecabimur, ne nobis absentibus, lupi rapaces in vos intrent non parcentes gregi nostro, sed ut convertat Vultum Suum ad Vos, et det vobis pacem, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in CHRISTO JESU.

Datum Monachii ex Apostolica Nuntiatura die ASSUMPTIONIS B. M. V. Principalis Capuae PATRONAE, Anno 1826.